

No. 415. 1464. 29. Aug.

Der Prior des Augustinerklosters Joh. Rossingk erklärt, dass Peter Lompnitz und Ursula dessen Ehefrau in die Bruderschaft des Klosters aufgenommen seien.

Frater Johannes Roßingk prior conventus in Antiqua Dresden ordinis fratrum hermitarum sancti Augustini licet immeritus dilectis sibi in Christo Jhesu Petro Lompnitz legitimaque eius uxori Ursulae salutem in domino sempiternam. Pro pio vestrae devotionis affectu, quo deum et ordinem nostrum diligitis, vicissitudinem vobis rependere cupiens salutarem, recipio vos ad nostri conventus confraternitatem in vita pariter et in morte, faciens vos participes omnium missarum orationum vigiliarum praedicationum ieiuniorum castigationum ceterorumque bonorum operum, quae per fratres nostri conventus operari dignabitur clementia salvatoris; adiiciens ut cum obitus vester aut alicuius vestrum nostro conventui intimatus fuerit, anima vestra in nostro conventuali capitulo fratrum nostrorum orationibus recommendetur. Insuper et animas omnium parentum fratrum sororum ac omnium carorum vestrorum recipio ad universa suffragia nostrorum confratrum defunctorum. Datum anno domini millesimo quadingentesimo sexagesimo quarto ipso die decollationis beati Johannis baptistae prioratus officii sub sigillo.

Nach dem Orig. in der Stadtbibliothek zu Leipzig. Das Siegel ist abhanden gekommen.
Naumann catal. libr. mss. p. 259.

No. 416. 1469. 20. Juni.

Bischof Dietrich von Meissen bestätigt die vormals von ihm als Domprobst gemachte Stiftung im Augustinerkloster zu Altdresden (vgl. No. 414). Ad pontificalis igitur cathedrae tandem munere divino celsitudinem sublevati antea per nos devotionis vestigia initiata curavimus proficere¹⁾ et validudine nostra augmentare et sic ipsam fundationem in forma ut praescribitur ratam suscipimus ac firmamus —, ipsum etiam agrum per nos sic comparatum ac alium in locum praedicti agri emendum in futurum auctoritate nostra in forum ecclesiasticum et ecclesiae recipimus libertatem, invasores autem et distractores praedictorum aut alienatores tamquam sacrilegos et poenis canonum fore puniendos censemus, auctoritatem nostram ordinariam interponentes et decretum. Omnibus vero praedictis antiphonis vel officio et cuilibet seorsum praesenti(?) praesentibus confessis et contritis reverendi in Christi patres et domini domini Johannes et Caspar germanus noster divae memoriae episcopi Misnenses vivae vocis oraculo quilibet XL dies indulgentiarum donavit et nos de omnipotentis dei misericordia et bb. Petri et Pauli app. eius confisi similiter XL dies indulgentiarum de iniunctis eis poenitentiis in domino misericorditer impertimur, [praesentibus] perpetuis temporibus duraturis. Nulli ergo omnino hominum etc. Si quis autem etc. Ad cuius rei evidentiam has nostras litteras scribi sigilloque nostro maiori et autentico communiri fecimus et illis appendi. Datum et actum in castro nostro episcopali Stolpenn anno domini millesimo quadingentesimo sexagesimo nono die vicesimo mensis Junii.

Nach einer Abschrift in Grundmann Cod. dipl. VIII fol. 4071, welche auch dem Abdruck bei Hasche S. 302 zu Grunde liegt.

1) Hasche nach Grundm. *proficere*.